



~~C. H.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

11-58.

SIGNAT. 1515 CCCXIII.

59

VITAM  
ACADEMICAM  
**FRANCISCO SIGISMUN-**  
**DO PAPIO,**  
VIRI

*Maxime Reverendi, Nobilissimi  
& Amplissimi,*

**DNI. PETRI SIGISMUNDI**  
**PAPII,**

Theologi magni, ad D. Petri Col. ad Spr. Ecclesiastæ  
longe meritissimi

**FILIO OPTIMO,**

cum  
ex Gymnasio Zittaviensi

die XXII. Octobr. MDCCXI.

discederet,

in Patriam accederet,

indeque

**in ACADEMIAM**

se conferret,

faustam ac fortunatam

esse cupiebat

**M. Adam Erdmann MIRUS,**

Gymn. ConR.

---

ZITTAVIE, litteris Hartmannianis.





Uod tuum esse cupis Theologiae studium amplissimum, temporibus diversis diversa fata habuit. Et si enim à prima mundi ætate ad hoc usque tempus in summa dignitate habitum; et si quoque virorum celeberrimorum studium eo magis in se convertit, quo magis Deum nobis clementem & propitium conciliat; attamen fraude & insidiis infernali tyraanni quovis tempore misere conspurcatum est. In deliciis illud habuerunt Patriarchæ tam ante, quam post diluvium celebres. Ast impedire non potuerunt, quo minus splendor & dignitas ejus primum ab improbis Cainitis, & deinceps à superstitione Chami Japhetique progenie obscuraretur. Ad summum perfectionis gradum ascendit sub cultu Levitico, Deo ipso normam Theologiae praescribente, atque cum ab aliis Israëlitis, tum potissimum à Sacerdotibus, Levitis Prophetisque fuit excultum; fordes tamen non contemnendas attraxit modo ex crassioris idololatriæ contagione, modo senescente Republ. ex Pharisaorum & Sadducaeorum perversis traditionibus. Servator ipse doctrinam fidei sanam ab istorum corruptelis vindicavit, atque, ut Apostoli codem perfungerentur officio, & ipse instruxit fidelis Doctor, & per Spiritum Sanctum in Sacris Pentecostalibus illuminavit. Quo gratior vero Evangelii lux, remota Mosaica caligine, terrarum orbem implere coepit; eo plures malitia hostis infernalis induraverat, ut se vel indignos judicarent tanto beneficio, vel impias suas cupiditates adverfus veræ fidei doctrinam converterent. Exeperunt hos Patres, nihilque in se desiderari passi sunt & via voce & scriptis celeberrimis, quod ad Ecclesiam Christi augendam conservanda pertineret. Conatibus quidem tantorum virorum optimis spons-

spondisset successus, nisi vis & libido tyrannorum per integra tria secula cursum Evangeli inhibuisset, hocque malo represso, insana hæreticorum turba summa imis miscuisset. Ab antiqua dignitate Theologæ studium magis magnisque sub Doctoribus Ecclesæ defiscere coepit, continuo bellorum strepitu animos hominum à literarum cultu ad arma trahente. Supremam pene noctem habuisset sub Scholasticis. Ut enim saniore doctrina vel suppressa vel omnino neglecta, ad quæstiones inanes, ludicas & perversas prolapsi sunt, orbemque terrarum atra caligine impleverunt: sic Pontificis Romani vi atque tyrannide eo magis in instituto suscepto confirmati sunt; quo magis ille conatus est, lumen literarum omne extinguiere, & Hierarchiam novam introducere. Nec prius eluctari poterat Theologæ studium gravissimas tenebras, quam Lutherus veniret, prætinamque dignitatem ipsi redderet, detractis, quas successu temporis collegerat, fôrdibus Pontificis. Reddîtum terris cura & providentia DEI benignissimi Theologæ studium non solum in hoc tempus servatum, sed & variis accessionibus auctum est. Tametsi enim non defuerunt, qui impias suas cupiditates contra verbum DEI sanctum contorserint, & hoc adhuc tempore contorqueant; attamen eo minus veritatem divinam de suo deturbare præsidio potuerunt, quo infelicius illa bella suscepérunt. Vides, que fata diversis temporibus pulcherimum Theologæ studium habuerit, cui bono cum Deo curam & industriam cupis accommodare. Tuum fuerit, labore tam arduum tamque difficultem suscipere pie, suscipere prudenter, suscipere confitander. Pietas requiritur, si ausibus egregiis respondere debet grata benedictio. Neque enim tantus tamque prolixus labor vel digne suscipi, vel prudenter continuari potest, nisi devota precum affiditas divinum advocaverit auxilium. Cum pietate conjungenda est prudentia, ut omnia in studio Theologicō a verbi divini regula deducas, omnia ad eam reducas. Minus cauti sunt, qui vel in scopolus prodigiosarum opinionum duici se patientur, vel omnino hæresium procellis succumbunt. Prudentiae respondet grata constantia, neque prius recedat à labore, quam metam attigerit. Habebis in Academis multos Aristippos, qui te & doctrina & exemplo augere possunt. Habebis Prænobilissimum Dominum Parenrem, qui Ecclesia Christianæ & viya voce, & scriptis celeberrimis prodest; eoque magis de re literaria meretur, quo magis curas suas, laborem, industriam, mentem deinde omnia ad illam augendam conservandamque transfert. Ad hujus exemplum & actiones tuas composueris; & cumulatissime expectationi ejus

de

de te factæ satisfacies, & in commodum Ecclesiæ gratissimum cresces. Talibus  
instructus profectibus à nobis discedis, qui egregia tua indole sunt digni. Pro-  
basti nobis industriam tuam in Latinis, Græcis & Ebraicis litteris colendis.  
Probasti in Politicis, Historicis aliisque ad humanitatem pertinentibus studiis,  
Atque ita probasti, ut omnia obvia haberes more aquilæ, cui omnem aërem per-  
vium esse cernimus. Quare dum faustis omnibus ex umbra scholaistica ad su-  
periores Scholas Academicorum te confers; retine industriam, quam hacte-  
nus probasti Magistris tuis. Enitere porro ad virtutes magnas, quas Beroli-  
num in Prænobilitissimo Domino Parente admiratur, omnis Germania depræ-  
dicat. Toties animum accensum habe novis honorum stimulis, quoties lite-  
ræ ab eo allatae currentem in officio muniverint; Tibique persuade, nihil vel  
ipsi acceptius, vel Patriæ exoptatius esse, quam si temporis successu omnia in  
Te eminuerint renovata, quæ dudum in Prænobilitissimo Domino Parente eruditus  
mundus celebravit. Faxit divina benignitas, ut in suscepto virtutis ac sapientiæ  
studio feliciter verseris, atque ex Academia talis revertaris aliquando,  
qualis esse debes & quem futura salus unice desiderat. Deus Te servet!



Ung. VI 58 (1)


ULB Halle  
002 686 287

3



56,

VDI 7  
Sep. 2000 Pd.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

Centimetres	8	7	6	5	4	3	2	1											
Inches	19	18	17	16	15	14	13	12	11	10	9	8	7	6	5	4	3	2	1

59

VITAM  
ACADEMICAM  
**FRANCISCO SIGISMUN-**  
**DO PAPIO,**  
VIRI

*Maxime Reverendi, Nobilissimi  
& Amplissimi,*  
**DNI. PETRI SIGISMUNDI**  
**PAPII,**

Theologi magni, ad D. Petri Col. ad Spr. Ecclesiastæ  
longe meritissimi

*FILIO OPTIMO,*

*cum  
ex Gymnasio Zittaviensi  
die XXII. Octobr. MDCCXI.  
discederet,*

*in Patriam accederet,  
indeque*

**in ACADEMIAM**

*se conferret,  
faustam ac fortunatam  
esse cupiebat*

**M. Adam Erdmann MIRUS,**  
Gymn. ConR.

ZITTAVIAE, litteris Hartmannianis.